

In timore Domini fiducia fortitudinis: & filii ejus erit spes. Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat: quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despiciat: quanto se auctori eorum veracius per formidinem subdit. Filii autem timoris Domini dicuntur, qui divino timore reguntur, sicut filii virtutis, & filii resurrectionis, qui virtutibus student, vel qui ad gaudia resurrectionis pertinent: quibus erit spes, juxta illud psalmistæ: Qui timent Dominum, sperent in Domino: de qua spe consequenter adjungit:

Timor Domini, fons vite: ut declinet à ruina mortis. Hæc est ergo spes eorum qui timent Dominum: ut declinentes à ruina mortis, pervenire mereantur ad eum qui dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Dicitur autem supra: Lex sapientis, fons vite: ut declinet à ruina mortis. Et nunc dicitur: Timor Domini, fons vite: ut declinet à ruina mortis. Ex quo patet: quia nulla prior est lex sapientis, quam mortem vitare, & vitam acquirere debeat æternam: quam habere timorem Domini. Unde & alibi dictum est: Initium sapientiæ, timor Domini.

In multitudine populi, dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia principis. Qui patiens est, multa gubernatur sapientia: qui autem impatiens, exaltat stultitiam suam. Ubi multitudo ferventium Deo: ibi specialiter Christi gloria: ubi soli catechumeni, vel recens nati infantes, sub regno adhuc tenentur diaboli: & ipsi tempore congruo festinantes in Christo renasci: ignominia ibi manifesta principis mundi. Vel certe in conventiculis hæreticorum, quæ semper sunt pauciora Ecclesiæ Catholicorum: ignominia patet eorum qui hæc ab Ecclesiastica unitate segregarunt.

Vita carnis, sanitas cordis: putredo ossium, invidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum qui miseretur pauperis. In malitia sua expelletur impius, sperat autem justus in morte sua. In corde prudentis requiescit sapientia: & indoctos quosque erudit. Justitia elevat gentem: miseris facit populos peccatum. Per carnem, infirma quedam ac tenera: per ossa, fortia acta signantur. Bene ergo dicitur: Vita carnis, sanitas cordis. Quod si mentis innocentia custoditur: & si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et rectè subditur: Putredo ossium, invidia: quia per livoris vitium ante Dei oculos pereunt & quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quedam etiam robusta deperire.

Acceptus est regi minister intelligens. Ille videlicet cui dicitur: Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituit: intra in gaudium Domini tui.

Iracundiam ejus inutilis sustinebit. Ille utique de quo idem ait: Et inutilem servum ejecite in tenebras exteriores.

Caput XV.

RESPONSIO mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furor. Qui verba increpantis humiliter recipit, jam propinquat veniæ reatus quem gessit. At qui superbus arguenti resistit, majorem contra se iram districti judicis.

Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Lingua Catholicorum patrum, ornat scientiam divinarum eloquiorum: latius exponendo quæ scriptura canonica, aut obscura posuit, aut historica tantum ratione scripta reliquit: & os hæreticorum ebullit stultitiam, dicta sacræ scripturæ perversè intelligendo: suosque sensus ejus auctoritati præponendo. Potest & de paganorum philosophis intelligi quod ait: Os fatuorum ebullit stultitiam: quales fuerunt Porphyrius & Julianus: qui contra Ecclesiæ doctores stultitiæ suæ fluentia fundebant.

Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet. In abundantia justitiæ virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. Lingua Catholici doctoris ad fructum vitæ ducit semper: quæ autem immoderata est, modum Ecclesiasticæ normæ ignorat: & suum spiritum, & eorum qui se audiunt, malè loquendo conteret.

Domus justis, plurima fortitudo: & in fructibus impij, conturbatio. Domus Christi, id est, Ecclesiæ plurimam habet fortitudinem: ita ut pluvia, ventis, fluminibusque ten-

tationum frequentium, nequaquam possit dirui: & in operibus diaboli conturbatio fervet assidua: quæ eandem Christi domum, vel per falsos fratres, vel per apertos adversarios dejicere tentat.

Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Labia Catholicorum disseminabunt prædicando scientiam rectæ fidei: cor hæreticorum dissimile erit: quia perfidiam pro scientia concipit ut doceat. Potest & ita intelligi: quia cor stultorum etiam sibi metipsum dissimile erit: dum mutabilitate diversarum cogitationum varium se exhibet: & nunquam idem quod fuerat manet: cui contra de Anna cum Domino intenta mente supplicaret dicitur: Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati.

Vitium impiorum abominabile Domino: vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impij: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. Orationes, opera, & sacrificia hæreticorum abominatur Dominus: & vota eorum accepta habet, qui fidem Catholicam justis operibus asserunt.

Doctrina mala deserens viam vitæ: qui increpationes odit, morietur. Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum: Non amat pestilens eum qui se corripit: nec ad sapientes graditur. Cor gaudens exultat faciem: in mœrore animi deiecit spiritus. Cor sapientis quaerit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia. Mala est ergo doctrina eorum qui viam deserunt veritatis: de quibus Dominus ait: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimum vocabitur in regno caelorum. Sed talibus adhuc si correpti penituerint, patet reditus ad veniam. Sin autem nec correptionibus Ecclesiasticis annuerint, jam certus eis restat interitus.

Omnes dies pauperis, mali: securus mens quasi iuge conviviij. Omne tempus populi Dei quamdiu in præsentia pauper est, afflictionibus abundat & arumnis: quia necdum ad divitias supernæ bonitatis & perpetuæ mansionis pervenit. Unde monet Apostolus dicens: Remedentes tempus: quoniam dies mali sunt. At verò reprobi qui metu carentes divino, securi mundo utuntur: quasi jugibus stulti reficiuntur epulis. Unde rectè subjungit:

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabile. Quale est in psalmo: Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas. Melius ergo est ut servato timore Dei, egeas opibus: vel etiam victu quotidiano, quam ut desiderio plura acquirere Dei timorem deferas.

Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Omnis qui operum bonorum exempla proximis quæ imitentur ostendit: quasi ad epulas quibus reficiantur, convivas vocat. Melius est autem vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio: quia nimirum multo est utilis simplicis vitæ innocentiam cum charitate fervare, quam majoribus virtutum miraculis foris fulgere: & interiora mentis ad odiorum forde non expurgare. Unde quibusdam in fine dicentibus: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus: & in tuo nomine damonia ejecimus: & in tuo nomine virtutes multas fecimus? dicit ipse Dominus: Quia nunquam novi vos, discedite à me omnes operarii iniquitatis.

Iter pigrorum quasi sepes spinarum. Pigros dicit eos quos piget operari justitiam: qui cum viam Domini appetunt, eos velut spinæ obstententium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspensiones pungunt. Quod quia electos præpedire non solet, adjunxit:

Via justorum absque offendiculo. Filius sapiens latificat patrem: & stultus homo despiciat matrem suam. Stultitia gaudium stulto: & vir prudens dirigit gressus suos. Dissipantur cogitationes ubi non est consilium: ubi verò plures sunt consiliiarii, confirmantur. Iusti quippe in conversatione sua, quodlibet eis adversitatis obviaverit, non impingunt: quia temporalis adversitatis obstacula, æternæ spei, & internæ contemplationis saltu transiliunt.

Latus homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus. Humanum quidem est de sua sententia quasi prudenter prolata quemque latari: sed verus sapiens, non solum res quas loquitur, verum etiam opportunitatem loci vel temporis, vel personæ cui loquatur diligenter inquirat.

Semita vitæ super eruditum: ut declinet in inferno novissimo. Eruditum dicit: non solum scientia, sed & opera-

tione perfectum: Huic etenim jure semita vitæ desuper aperta est: huic coeli janua patet. Infernus autem novissimus de quo liberatur, ultima est poena damnationis. Nam primus infernus, est cæcitas animæ peccantis, & vete lucis scientia carentis: de quo dicitur in psalmis: & descendant in infernum viventes: id est, scientes labentur in peccatum.

Domum superborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos vidua. Conventicula hæreticorum cæterorumque Ecclesiæ persecutorum demolitur Dominus: & firmos facit in orbem universum terminos ejusdem Ecclesiæ: sponse videlicet suæ, pro cuius vita mori dignatus est.

Abominatio Domini, cogitationes mala: & purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. Conturbat domum suam qui seclatatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet. Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis à malo. Mens justis meditatibus obedientiam: os impiorum redundat malis. Longè est Dominus ab impiis: & orationes justorum exaudiet. Abominatur Dominus cogitationes hæreticorum, imò omnes pietati contrarias: & purus sermo rectæ fidei firmabitur ab eo, quando in judicio non solum factis, sed & verbis omnibus digna præmia reddet. Abominatur est cogitationes malas eorum qui dicebant: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Et purum sermonem ejus qui dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi: pulcherrimum esse firmavit, cum respondit: Beatus es Simon Bar Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi: sed Pater meus qui in cælis est.

Lux oculorum latificat animam: fama bona impinguat ossa. Jure mentem delectat humanam, cum se lucem cælestium arcanorum, Domino revelante percepisse cognoscit: quod alia editio manifestius dicit: Videns bona oculis, oblectat cor: bona utique Domini in terra viventium. Quæ qui mentis oculis contemplantur, merito in corde oblectantur: tametsi extrinsecus tristis incedere, inimico assigente videtur. Fama quoque illa felicissima: qua nostros non solum actus & sermones, sed & cogitatus angelis deferentibus in celo patere cognovimus, pinguinem dilectionis & fidei, nostris virtutibus non deficiente arefcant, exhibet. Quanto enim certius tenemus occulta nostri cordis, simul & aperta operis divinis patere conspiciamus: tanto magis fortitudinem nostræ bonæ actionis, oleo charitatis ejus ne lassescat, impinguare fatigamus.

Auris qua audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. Qui abiecit disciplinam, despiciat animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Timor Domini, disciplina sapientie: & gloriam præcedit humilitas. Discipulus qui increpationibus docentium obediens annuit, plerumque proficiendo ad Cathedram usque doctoris ascendit. Denique Paulus qui increpationi sui conditoris sese humiliter subtravit, ad ledem postmodum Apostolica dignitatis sublimiter pervenit.

Caput XVI.

HOMINIS est animam preparare: & Domini gubernare linguam. Certum est quia neque animam preparare, neque gubernare linguam, neque aliquid facere boni absque divina gratia valemus: Quia sine me, inquit, nihil potestis facere. Quomodo ergo hominis est animam preparare, & Dei gubernare linguam? Nisi quia hæc proprie tempus perfectionis significat. De quo Dominus ait: Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

Omnes via hominum patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus. Ita vias, id est, actiones omnium, & bonorum videlicet & malorum Dominus videt: ut etiam spiritus singulorum quid in occulto cogitent, certa lance discernat. Unde rectè subjungitur:

Revela Domini opera tua: & dirigentur cogitationes tuæ. Domino quippe opera nostra revelamus: quando eum quem nihil latere novimus, in cunctis quæ agimus, in memoriam reducimus: atque illius in omnibus flagitamus auxilium: & cum hoc devoti agimus, fit ut non opera eadem tantummodo, sed etiam internæ nostræ cogitationes, illo dirigente procedant.

Univerfa propter semetipsum operatus est Dominus: im-

pium quoque ad diem malum. Nulla fuit Domino causa creaturam visibilem vel invisibilem faciendi, nisi voluntas sua: ut suam videlicet bonitatem rationabili creaturæ, quam perpetuò beatam faceret, ostenderet: eum quoque qui bonum conditionis propria sponte deseruit: id est, diabolum cum suis sequacibus, iusta severitate damnavit.

Abominatio est Domini omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non erit innocens. Initium vitæ bene, facere justitiam: accepta autem apud Deum magis quam immolare hostias. Misericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinat à malo. Quicumque sibi tribuit bonum quod facit, etiam si nihil mali videtur manibus operari, jam cordis innocentiam perdidit: in quo se largitori donorum prætulit. Et ideo talem conditor suus abominatur ut reum, quem sibi beneficiis contemplantur ingratum.

Cum placuerint Domino via hominis: inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Tanta est sanctitas divina religionis, ut eam plerumque, etiam qui foris sunt, venerationi habeant: & quos perfectè Deo servare perspexerint, cum his pacem habere, quamvis religioni discrepantes, incipiant. Denique quia placuerunt Domino via Danielis & trium puerorum: inimicos quoque eorum qui eos in ignem vel bestias miserunt, convertit ad pacem. Quia placuerunt Domino via sanctorum prædicatorum, multos eorum persecutores non ad pacem tantummodo, sed ad eandem etiam fidei & religionis unitatem convertit.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. Cor hominis disponet viam suam: sed Domini est dirigere gressus ejus. Et beati, inquit Dominus, pauperes: quia veltrum est regum caelorum. Et iterum: Væ vobis divitibus: quia habetis consolationem vestram. Potest & sic accipi: Quia melius sit in simplici conversatione Deo devotè servire, quam multis abundantem virtutibus: verbi gratia, elemosynis, orationibus, jejuniis, doctrina, castitate, proximorum facta despiciere: & de sua quasi singulari sublimitate gloriari.

Divinatio in labijs regis: in judicio non errabit os ejus. Illud significat regem, de quo dictum est: Deus judicium tuum regi da. Quis est enim regum temporalium, qui nunquam erret in judicio? In cuius labijs est divinatio: quia non suorum solummodo sermones & facta dirigit, sed & gentiliū vates qui vulgo divini appellantur: quid scilicet respondeant, illo intus indicante disponitur: testante Michæa Propheta: qui ad deceptionem Achab regis impiissimum testatur missum à superni judicis folio spiritum, qui Prophetarum ejus ora implet: atque ad suadendum ea quibus rex nefandus periret, armaret. Neque enim in hoc judicio erravit os regis æterni: sed quod rex impius audire peccatis præcedentibus meruit, ipse hoc Prophetas erraticos eloqui permittit. Sed & Ezechiel peccanti ac perituro Ammonitarum populo dicit: cum tibi viderentur vana & divarentur mendacia. Non est demonum divinatio, sed Dei judicium: qui perfectæ malitiæ elidit finem. Hunc versiculum alia translatio sic habet apertius de Domino: Nihil falsum exiit de ore ejus: quia nimirum ipse nec ullo mentiente falli, nec potest aliquando mentiri.

Pondus & statera iudicia Domini sunt: & opera ejus omnes lapides saculi. Abominabiles regi qui agunt impij: quoniam justitia firmatur solium. Lapidis saculi, iustos & fide fortes appellat: quales esse desiderabat Apostolus Petrus eos, quibus admonens dicit: Et vos tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales. Nullus igitur ab initio sæculi sua virtute electus, & cælesti edificio aptus est: sed ejus potius opere, qui omnia in pondere & mensura & numero constituens, unicuique sicut voluit mensuram fidei & gratiarum distribuit.

Voluntas regum, labia iusta. Reges dicit sanctos: qui vitiis principaliter imperare, & virtutibus animæ quasi obsequentium comitum cuneis stipari consueverunt: de quibus Dominus: Multi, inquit, Prophetæ & reges cupierunt videre quæ vos videtis: & non viderunt. Alioquin reges terreni multum sæpe labia iusta detestantur, ut Herodes Joannis: propter quod eum & capite punivit.

Qui recta loquitur, dirigitur. Ut videlicet rectis operum gressibus ad vitam pertingat æternam. At contra: Vir linguosus non dirigitur super terram. Nec repugnat huic sententiæ, quod de Antiocho dicitur: Et dolus in manu ejus

dirigitur. Non enim hominem illum dirigendum scriptura dixit, quem perversum ac pessimum futurum esse praevidit: sed dolus, inquit, in manu eius dirigetur: quia scilicet fraudes & scelera quae disposuit, ad effectum quem proposuit, nullo retardante perduxit: quibus tamen peractis in aeternum ut meruerat perit.

Indignatio regis, nunciis mortis. Nunciis mortis, sunt angeli fatanz, id est, haeretici, & vani Philosphi: imò omnes qui verba nunciati proximi, unde à morte rapiantur aeterna: qui quò amplius auctori mortis serviunt, eò gravius vitæ largitorem offendunt: nec tamen talibus iter poenitentiae praeccluditur. Nam subditur:

Et vir sapiens placabit eum. Potest enim respicendo Dominum placare, quem contigit stulte loquendo offendisse.

In hilaritate vultus regis, vita. Quicumque hilarem Christi vultum videre merentur, his in aeternum cum illo vivere dabitur. Alioquin in die iudicii, sicut scriptum est: videbit omnis caro salutare Dei. Sed hunc reprobi tunc iratum, iusti videbunt placidum.

Et clementia eius quasi imber serotinus. Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Semita iustorum declinat mala: custos anima suae servat vitam suam. Serotinus imber in Iudaea iam maturis messibus usque hodie venire consuevit: ubi Dominus & matutinam pluviam promittit, dicens per Prophetam: Dabo vobis pluviam matutinam & serotinam terræ. Pluvia ergo matutina est, sive temporanea, ut alibi nominatur: quando prima credendi in Christum semina suscipimus. Pluvia vero serotina, quando maturis virtutum frugibus ablata de hac vita in dominico horreo reconditur. Et rectè clementia regis, imbri serotino comparatur: quia quod fructum vitæ bene agentes percipimus: non hoc nostri libertas arbitrii, sed superni facit irrigatio doni.

Contritionem praecedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum vitibus, quam dividere spolia cum superbis. Contritionem enim futurae condemnationis praecedit superbia vitæ praesentis: & unde hic omnis reprobis elevatur, inde illic iuste deicitur.

Eruditus in verbo reperiet bona: & qui in Domino sperat, beatus est. Non solum qui ad praedicandum Dei verbum eruditus est, bona apud illum reperiet: sed & ille qui in Domino spem ponere didicit: etiam si ad praedicandum aliis idoneus non est, eiusdem beatitudinis participes exitit.

Qui sapiens corde est, appellabitur prudens: & qui dulcis est eloquio, majora percipiet. Qui sapientiam Catholice fidei quam didicit, illibatam suo in corde custodit, merito prudentis nomen accipit. At qui eandem sapientiam etiam doctè praedicare, & contra haereticos defendere novit, majora laboris amplioris praemia percipiet.

Fons vitae eruditus possidentis: doctrina stultorum fatuitas. Cor sapientis erudit os eius: & labii eius addet gratiam. Cùm diceret, possidentis, non addidit, quid possidentis. Quid autem putamus eum voluisse intelligi, nisi forte ipsam eruditionem: ut sit plena sententia: fons vitae eruditus possidentis ipsam eruditionem suam: quod est aperte dicere: quia ille praedicator verè suis auditoribus vitæ vias aperit, qui exercet ipse quae praedicat: qui amorem verbi quo alios erudit, fixum in corde possidet: nec tantummodo memoria retentum quasi collectum gremio semina jactat in terram. Idcirco namque doctrina stultorum fatuitas est: quia & si quae bona dicere usu eruditionis didicerunt, eadem tamen quae dicunt bona ipsi fatuo corde contemnunt.

Fatus mellis verba composita: dulcedo anima sanitas os suum. Est via qua videtur homini recta: & novissima eius ducunt ad mortem. Multi per eloquentiam possunt amantibus & faventibus suaviter pronuntiare bona quae ipsi non amant: ea autem solum verba ad sanitatem ossium tuorum: hoc est, ad virtutum tuarum spiritalia incrementa proficiunt: quae ex interna animæ tuæ dulcedine procedunt.

Anima laborantis laborat sibi: quia compulsi eum os suum. Constat juxta litteram, quia expulsus de paradiso homo, quotidianum laborem ne deficiat exercet. Compulsi enim os suum, quando cum serpente loquuntur est: quando veterum tetigit: ut exitium longum cum sudore sufferat: & in sudore vultus sui pane vescatur. Sed & doctorem os suum ut laborem compellit: quia necesse habet agere bona quae dicit.

Vir impius fodit malum: & in labiis eius ignis ardescit. Homo perversus suscitavit lites: & verbosus separavit principes. Et propheta ait. Ut iniquè agerent laboraverunt. Potest & de haeretico specialiter intelligi: qui pulcherrimos ac florentissimos divinarum eloquiorum campos, noxio lingue suae vomere rumpit: ut de internis eorum sinibus sentis impios, qui ibi non insunt, eruat. In cujus labiis ignis ardescit: quos se suosque auditores in perpetuum perdat. Unde & Jacobus: Lingua, inquit, constituitur in membris nostris, quae maculat totum nostrum corpus, & inflammata rotam navitatis nostrae inflammata in gehenna.

Vir iniquus lactat amicum suum & ducit eum per viam non bonam. Potest & de haeretico & de omni fautore malorum accipi: Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suae: & qui iniqua gerit benedicitur.

Qui atronitis oculis cogitat prava: mordens labia sua perficiet malum. Corona dignitatis senectus que in viis justitiae reperietur. Gravius est perficere malum, quam facere. Non solum autem ille perficit malum, qui per membra sui corporis perversum quid operatur & noxium: verum etiam ille qui fixa intentione malum patrare disponit. Solent enim superbi indignantes labia mordere: solent atronitis habere oculos: & praesentia non videre dum aliquandiu taciti sedula mente pertractant. Unde datur conjici quod atronitis oculis prava cogitare dicat eum, qui sic mala quae facit, inquirat, ut quae se in futurum retributio malorum operum fequantur, non videat.

Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Minor est victoria urbes expugnare, quia extra sunt quae vincuntur: majus autem est quod per patientiam vincitur: quia ipse à se animus superatur: & semetipsum sibi metipsum subjicit, quoniam eum patientia in humilitate tolerantiae sternit.

Sortes mittuntur in sinum: sed à Domino temperantur. Sicut sortes palam in sinum mittuntur, at clausæ in sinu continentur: divini autem est iudicii cujus fors elata palmam tenet: sic hominum facta in praesenti quidem vita latent: sed cujus sint meriti patefecet in futuro, prolato videlicet tunc a manifestato iudicio singulorum, quasi de sinu examinis divini.

Caput X VII.

MELIOR est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena vittimis cum iurgio. Melius est parva bona cum charitate facere sine scientia praedicandi: hoc est enim siccam esse buccellam, quam magnis effulgere virtutibus cum admixtione discordiae.

Seruus sapiens dominabitur filiis stultis: & inter fratres hereditatem dividet. Servit quilibet peccator delictis suis subditus olim, qui post conversionem vitæ suae sapiens effectus, atque flagrantissimo amore dilectione Dei fervens, filiis stultis, hoc est, quibusdam fidelibus à charitate Dei, per acceptam fidem tepescentibus, actu vel praedicatione sua, eis praelatus dominatur: atque inter fratres perfectos scilicet sanctos, supernae patriæ hereditatem dividit.

Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. Malus obedit lingue iniquae: & sal-lax obtemperat labiis mendacibus. Qui despiciat pauperem, exprobrat factori eius: & qui in ruina latatur alterius, non erit impunitus. Argentum quippe vel aurum si reprobum est, igne consumitur: si vero probatum, igne declaratur: sic nimirum est sensus uniuscujusque operantis: nam qualis sit in eo quòd laudatur vel vituperatur, ostenditur.

Corona senum filii filiorum: & gloria filiorum patres eorum. Non decet stultum verba composita: nec principem labium mendax. Senes dicit Patriarchas & Prophetas, qui à filiis filiorum, hoc est, à successoribus Apostolorum, digna laude celebrantur: & gloria est praedicatorum novi testamenti, quòd filii veterum patrum esse meruerunt.

Gemma gratissima expectatio praesolantis: quocumque se verterit, prudenter intelliget. Qui calat delictum, querit amicitias: qui altero sermone reperit, separat foderatos. Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum plage apud stultum. Qui praemia futura fideliter expectat, quasi gemma splendens possessione letatur. Nam & in Evangelio negotiator sapiens pro acquisitione pretiosae margaritae: id est, desiderio celesti omnia quae habuit vendidit: talisque exactor

tor sive adversa seu prospera contigerint, à sua intentione non flectitur: proderit intelligens, Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Semper iurgia querit malus: angelus autem crudelis mittitur contra eum. Angelus crudelis, immundus est spiritus: qui à Domino contra peccantes mittitur: ut eos vel in praesenti affligat, ut Aegyptios, quibus immisit iram indignationis suae: indignationem & iram & tribulationem: immisionem per angelos malos: vel etiam post mortem ad interitum rapiat aeternum. At contra immittit angelum Dominus in circuitu timentium eum & eripiet eos.

Expedit magis urse occurrere raptis fatibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Qui reddit mala pro bonis: non recedet malum de domo eius. Facilius erat doctoribus sanctis furori gentilitatis occurrere, raptis à se populis aliis quibus, atque à bestiali eius sevitia ad fidei pietatem praedicando conversis, quam haeretico cuiuslibet confidenti in sui perfidia dogmatis, quia nimirum illud contra exteros, hoc contra sua viscera certamen agebant. Potest urse nomine ipsius hostis antiqui malitia intelligi: cujus fœtus rapimus, cum eos qui erant filii diaboli, catechizando & baptizando filiorum Dei facietati adiungimus: & hoc plerumque multo leviore labore perficitur, quam sit haeretico ad fidei rectam revocare: vel Catholicum prava agentem, ad bonae operationis statum reducere.

Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum: & antequam patitur contumeliam, iudicium deserit. Et qui iustificat impiam, qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum. Aquam dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare: quo contra in bonam partem dicitur: Aqua profunda verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum: quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde è diverso scriptum est: Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

Quid prodest habere divitias stulto, cum sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam, querit ruinam: & qui evitat discere, incidit in mala. Quid prodest populo Iudaeorum infideli habere divitias scripturarum, cum in his Christum intelligere non possit? Quid haeretico eisdem abundare divitiis, cum unitatem fidei in eis discere nequeat? Quid malo Catholico expedit divitias habere verè fidei, cum sapientiam pie actionis habere neglexerit?

Omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur. Qui Dominum verè amat, omni tempore eius custodit amorem: neque in angustia paffionis deserit, quem in pacis tranquillitate confessus est.

Homo stultus plaudet manibus, cum sponderit pro amico suo. Qui mediatur discordias, diligit rixas: & qui exultat os suum, querit ruinam. Qui perversi cordis est, non invenit bonum: & qui veritatem linguam, incidit in malum. Natus est stultus in ignominia sua: sed nec pater in filio fatuo latabitur. Stultus est, qui cum animam fratris suscipit regendam, de suis gloriatur actibus: & non potius ei humilii compassione quicquid potest auxilii salutaris impendit.

Animus gaudens etatem floridam facit: spiritus tristis excipiat ossa. Munera de sinu impius accipit: ut perversas semitas iudicii. Qui interna Spiritus sancti consolatione letatur, etiam bonae actionis flore decoratur, & fructus praemiorum praestolatur celestium. Qui verò tristitia saeculi, quae mortem operatur, angitur, pinguedinem divinae charitatis in robore virtutum quas exercere videtur, habere nullatenus valet: sed quati excipiat ossibus marcescit: quia in bonis actibus quae facit gratiam dilectionis amittit.

In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terre. Ira patris filium stultum: & dolor matris quae genuit eum. In facie quidem Domini Salvatoris lucet sapientia divinitatis, quam in carne apparet, virtutum & doctrinae testimoniis demonstrat. Verum oculi Iudaeorum non credentium, terrenis potius desideris perficendis, quam salutaribus eius monitis intendebant. Sed & generaliter saepe prudentes gravitatem sui sensus in ipso etiam frontispicio praemonstrant: nec tamen stulti ad hanc admirandam sectandamque oculos mentis attollunt: sed è contra qualiter ad finem voluptatum carnalium pertinent, tota intentione perquirunt.

Non est bonum damnum inferre iusto: nec percutere principem.

Tom. V.

capem qui recta iudicat. Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & preciosi spiritus vir eruditus. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens. Occasionem querit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Non recipit stultus verba prudentia, nisi ea dixerit quae versantur in corde eius. Et de ipso principe ac iudice saeculorum, qui pro nostra salute percuti voluit, accipi potest: & de omnibus generaliter Ecclesiae rectoribus: qui vel facultatibus nudati ab impiis, vel ipsa aeterna sunt morte consumpti.

Caput XVIII.

IMPIUS cum in profundum venerit peccatorum contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium. Qui longis peccatorum tenebris involutus semel de luce desperat, jam ex desperatione passim sibi peccandi frenata relaxat: sed talis opprobrium futurae damnationis nulla ratione evadit: quem ab usu vitae iniquitatis nulla divini timoris memoria cohibuit.

Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientiae. Accipere personam impii in iudicio non est bonum, ut declines à veritate iudicii. Labia stulti immiscens se rixis: & os eius iurgia provocat. Os stulti contristio ejus: & labia ipsius ruina anima ejus. Verba sapientium aquae comparantur: quia & lavant mentes audientium, & irrigant ne vel peccatorum forde deformes remaneant: vel doctrinae celestis inopia tabescant, & quasi novicia ariditate deficiant. Et quia eadem doctorum verba fidelium, quadam mystica latent & oculata, quae solentiore comprehendantur industria: quadam verò aperta & cunctis audientibus facilia ad intelligendum proficiunt: rectè hæc & aquam profundam, & torrentem dicit esse redundantem. Potest autem & ita distingui: ut quia veteris testamenti scriptura typicè prolata est, dicatur de ea: Aqua profunda, verba ex ore viri. Quia Dominus & Apostoli palam utriusque testamenti sacramenta mundo referabant, adjungatur de illis: Et torrens redundans fons sapientiae.

Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pigrum accipit timor: anima autem esurientium esurient. Bilingues sunt cuncti haeretici, quia prava persuasionis locutionis suae, mentes simplicium velut pestifero veneno ita corrumperunt, ut ad sanitatem difficile venire possint.

Qui mollis & dissolutus est in opere suo: frater est sua opera dissipantis. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus & exaltabitur. Quia qui cepta bona destrucit non exequitur, dissolutione negligentiae manum destrucit imitatur.

Substantia divitis urbis roboris eius: & quasi murus validus circumdatus eum. Non terrena substantia semper defendere potest: imò plerique propter divitias sunt capti vel occisi. Unde & Ecclesiastes ait: Divitiarum conservata in malum domini sui: pereunt enim in afflictione pessima. Melius ergo intelligitur substantiam laudare virtutum, quibus quicumque abundat, quasi muro inexpugnabili cunctas hostium arces insidias.

Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Id est, ante contritionem futurae ruinae vel damnationis, praecedit elatio cordis atque prava actio.

Qui prius respondet quam audiat: stultum se esse demonstrat & confusione dignum. Qui prius doctor esse desiderat quam dicat, stultitiae noxam non declinat. Qui iudicare proximorum facta prius quam plenè causam utriusque partis cognoscat, inordinatè festinat, se confusione dignum demonstrat.

Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam. Et ipse vir ait: Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma. Potest & de quolibet viro sancto accipi, qui carnis imbecillitatem, ne in tentationibus cedat, mentis fortitudinis sustentat.

Spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Cor prudentis possidebit scientiam: & auris sapientium querit doctrinam. Quia qui ad irascendum facilis est, nec seipsum potest sustinere: ita ut iratus saepe dicat ea quae postmodum placidis quia dixerit poeniteat: & plerumque an di-

N n